IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 124r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Et tamen Ego dixi si vultis credere ac mandata dei custodire dii estis participacione gratie mee / O mira dei gratia cum solus sit verus et substancialiter deus non invidet participium nominis sui hominibus et filii excelsi omnes per gratiam et adopcionem / omnes quidem qui sanctis iussionibus acquiescunt

Verba deflectit ad impios dicens Vos autem impii et increduli non eritis sicut dii viventes vita eterna sed moriemini sicut homines peccatores in peccato infidelitatis et vos maiores superbiam vestram in xpm exercentes cadetis in profundum inferni ita irrecuperabiliter / sicut unus de principibus .i. diabolus qui de celo proiectus corruit et pena sue perversitatis invenit

Vos quidem cadetis sed tu Deus exurge de sepulchro et iudica terrenos illos iudeos / qui ita te crucifixerunt / quam his repulsis tu hereditabis in omnibus gentibus pro una iudeorum gente / que tibi quondam hereditas fuit peculiaris / ex omnibus nacionibus mundi / hereditatem accipies omnes gentes

Ps 82 In quo monet iustos ad pacienciam

Propheta previdens xpm in maiestate magna venturum ad iudicium admirans ait

Domine quis similis erit tibi / cum ad iudicium in maiestate tua magno angelorum exercitu comitante venies / nullus / ne taceas dare in impios sententiam / Ite maledicti in ignem eternum / nec aliqua miseracione compescaris aut mutescas a vindicta eorum sed comprime eos pena eterna — dicendo al' mutescas

Propheta de persecucione antixpi futura loquens ait

Ne taceas domine dico Quoniam inimici tui / antixpi membra membra